

De fide, legalitate et sollicitudine tuis plenarie confidentes te in procuratorem fisci nostre imperialis camere generalem providimus eligendum, tibi quelibet ad dictum officium spectantia integraliter committentes. Necnon mandantes universis^a et singulis nostris et imperii fidelibus, quatinus tibi in dicto tuo officio obediant, pareant et intendant, sicut nostre indignationis aculeum cupiunt evitare. Insuper ad declarationem tibi presentium auctoritate concedimus plenariam iurisdictionem et potestatem petendi, exigendi et recipiendi id totum et quidquid nobis aut nostre imperiali camere ab aliquo vel aliquibus deberetur aut inposterum debebitur cum scriptura vel sine ex quacunque causa vel modo et cartas quietantie et finis faciendi ac liberationis et absolutionis pro tue beneplacito voluntatis. Ex nunc ratum gerentes et firmum, quidquid in predictis et circa predicta vel aliquod predictorum duxeris faciendum, ac si personaliter fecissemus.

Dat. in Urbe, die XXI. Maii, regni nostri anno quarto-decimo, imperii vero primo.

Et ego Tellus quondam Çoli imperiali auctoritate notarius de Tuderto predicta ab auctentico sumsi et prout in ipso inveni, ita hic fideliter transcripsi et exemplavi et cum auctentico diligenter absultavi cum discretis viris Bartholo domini Petri et Iacobo^b notariis de Tuderto, qui se subscripserunt in fidem et testimonium. Cum licentia et auctoritate magnifici viri Vannis de Susinan(o) nati Tani de Ubaldinis de Florentia honorabilis potestatis Tuderti, qui suam auctoritatem interposuit et decretum.

Hec acta sunt in sala palatii veteris comunis Tuderti. Currentibus annis Domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo, indictione undecima, tempore domini Iohannis pape XXII, regnante serenissimo principe domino Ludovico Romanorum imperatore¹, die quartadecima mensis Iunii. Presentibus testibus et vocatis Tudinello Iohannecti et Guiscio Iontole de Tuderto.

a) heller auf Rasur Tr. b) Lücke im Tr. Siehe unten.

1) Diese Stelle sowohl wie die entsprechende oben S. 430 sind merkwürdig, weil, wie Villani X, 68 berichtet, Ludwig in der That in Rom ein Gesetz erlassen hat, das bei Abfassung der Notariatsinstrumente die Angabe der Regierungsjahre des Kaisers obligatorisch machte. Die päpstlichen waren natürlich in diesem Gesetz nicht mit vorgeschrieben und an der Stelle oben fehlen sie in der That.